

C. VALERIVS CATVLLVS

omnia omnibus annuit.
165 io Hymen Hymenaeae io,
io Hymen Hymenaeae.

transfer omine cum bono
limen aureolos pedes,
rasilemque subi forem!
170 io Hymen Hymenaeae io,
io Hymen Hymenaeae.

aspice, unus ut accubans
vir tuus Tyrrio in toro
totus immineat tibi!
175 io Hymen Hymenaeae io,
io Hymen Hymenaeae.

illi non minus ac tibi
pectore uritur intimo
flamma, sed penite magis.
180 io Hymen Hymenaeae io,
io Hymen Hymenaeae.

mitte bracchiolum teres,
praetextate, puellulae:
iam cubile adeat viri.
185 io Hymen Hymenaeae io,
io Hymen Hymenaeae.

vos bonae senibus viris
cognitae bene feminae,
collocate puellulam!
190 io Hymen Hymenaeae io,
io Hymen Hymenaeae.